

cultiore condensatam, quæ radios solis colligit, certis coloribus tingit, imo & unitos dispergit : quorum sententiam solo Senecæ discursu allato possumus omnino quætere.

§. XI. Superest igitur ut de Cometis conjecturam verosimiliorem exponamus. At prius id annotasse haud supervacaneum foret, quod jam ex dictis notari potuit, ab omni ævo multum infudatum esse circa eorum, ac corporum cælestium naturas, cum tamen solus forsitan Deus eorum situs, motus ac dispositiones perfectè sciat; & ipsi vix ea, quæ nos circumstant benè noverimus. Posito ergo, quod Cometæ, qui centum abhinc annis visi sunt, atque ab Astronomis peritissimis observati, longè minorem, quam Luna paralaxin habuerint, & consequenter Lunâ multo sublimiores sint; supponere etiam fortè licebit, eos non minori à terra spatio quam Saturnum distare. Quod etiam confectum est à Cartesio, qui primus naturam corporum cælestium tradidit in elegantissimo illo libro, quem edidit de Principiis Philosophiæ, quemque omnes insignes Physici & Astronomi hodie sequuntur, ac secuti sunt præ ceteris Iacobus Rohaltus, Antonius leGrand, & Excell. D. Præses in Tractat. Physicis, quos ediderunt. Cum enim illi compertum esset, stellarum fixarum maximum esse numerum, præter eas, quæ visui offeruntur: ratusque ex iis quasdam posse revera locum deserere, quem in mundo occupant; sicut maximè probabile est, earum quasdam, quæ priscis visæ sunt jam nobis inconspicuæ, locum mutasse, conjectavit id, quod Cometam vocamus, nihil aliud esse, quam unam ex iis stellis, quæ paulatim maculis cooperta ad luminis usque privationem, situm, quem antea obtinuit,